

BRUNNEN

21  
D. IO. FRIDERICI WEIDLERI

MATHEMATVM SVPERIORVM PROFESSORIS

ORDINARI REGIIS SCIENTIARVM SOCIETATIBVS

BRITANNICA ET PRVSSICA ADSCRIPTI

H. T. ORDINIS PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA VITEM-

BERGENSI DECANI ET COMITIS PALATINI

CAESAREI

COMMENTATIO 1742 18

DE

MECHANICA

ASTRONOMIAE

MEDII AEVI

AD

PHILOSOPHIAE ARTISQVE POETICAE

CANDIDATOS

---

VITEMBERGAE

PRELO EICHSFELDIANO

A. R. G. CID IO CC XLIII.

1742

D. IO. FRIDERICI MEDILLI  
MAGISTERIUS ET LIBRARIUS EDITIONIS  
OLIMINAE ET HABITATUR IN LIBRARIIS  
ET LIBRARIA THERESA IN LIBRARIIS  
PROGENITORIBUS ET PROGENITORIBUS PATERINIS  
COMIMENTATI  
DE  
MICHANICA  
ASTRONOMIAE  
MEDII AETATI  
SINGULAREM ETICAE LOGICAE  
CANDIDATOS

ALTMERGGER  
TURBO HONESTUDIANTO  
A. E. C. 1313 CCXII

MECHANICA  
ASTRONOMIAE  
MEDIÆ AEVI.



cientia astrorum duobus praecipue fulcris, experimentis nimirum & obseruationibus, nec non de promtis ex mathesi reliqua ue- ritatibus nititur. Sed quoniam motus stellarum nec omni ex parte aequabiles sunt, nec simili semper ratione oculis nostris exhibentur, indeque uicissitudines, subinde per exiguae, quae tamen absque magno errore prætermitti non possunt, nascuntur, inanis foret astronomi dili- gentia, nisi instrumentis, ad deprehendendas motus conspe- ctesque stellarum uarietates idoneis, & singulari artificio confectis, minutaque subtilitate diuisis, adiuuaretur. Praeter- ea non omnes, quas patiuntur sidera, mutationes oculis u- surpare licet: quaedam enim ratiocinii, ex arithmeticâ, geo- metriâ, optica, saepe etiam ex physica, peritis indagari atque in lucem protrahi debent. Alterutro ergo subfido quam- diu homines caruerunt, tamdiu astronomiae constitutionem fructu tentatam fuisse, Chaldaeorum, Aegyptiorum & Si- nensium ueterum exemplis luculenter comprobatur.

Postquam uero Ptolemaeus Euergetes, Aegypti rex, solerissimi Eratosthenis hortatu, armillas aereas & gnomonem, in porticu Alexандriæ, seculo geometriae studiis flo- rentissimo, posuit, ab eo tempore multo accuratiōr coeli ter- raeque contemplatio fieri, & astronomia laetiora incremen- ta capere, & paulo post scientiae formam ac dignitatem su- mere ac tueri coepit.

Cum itaque necessitas flagitet, ut ad dimensionem coeli instrumenta exquisite fabricata adhibeantur, omni tempore

A 2 id

id operam dederunt astronomiae cultores, ut organa sua magis magisque expolirent, & ad usus artis aptiora redde-rent. Iucundum autem, uti arbitror, & utile est, officinam hanc astronomicam, quemadmodum diuersis temporibus in-structa fuit, attentiore oculo perlustrare, non solum, ut de pretio obseruationum, a ueteribus peractarum, rectius feramus iudicium, sed etiam, ut quanto nos illis feliciores simus, intelligamus. Haec me mouit ratio, ut ante aliquot annos de ueteris astronomiae mechanica prolusionem aliquam breuem in lucem ederem, & qualibus instrumentis Chaldae, Aegyptii, Graeci, usque ad Ptolemaei aetatem, stellas speculati fuerint, exponerem. Liceat nunc, uenia lectoris, coeptam illius tra-tationis telam continuare, & de organis, quae aeuo me-dio, a seculo nempe secundo, usque ad Tychonem, me-chanicae quippe astronomicae instauratorem, scientiae fide-rum studiosis in usu fuerunt, explicare. Evidem nullum est dubium, proximos a Ptolemaeo astronomos, clepsydras, regulas, armillas, gnomonem, quadrantem, & similia, pro-uti ex Proclo (\*) discimus, manibus uersasse: attamen, quo-modo antiqua illa immutata, & quae noua illis adiecta sint, in praesenti disquirendum uenit. Ordinar ab astrola-bio, in quo limando Arabes & Europaei enixe elaborarunt. Scilicet οργανον αστρολαβιου ΡΤΟΛΕΜΑΕΙ, (\*\*) armillare erat, constans septem circulis, ita inter se complicatis, ut alter alterum amplexaretur, & in unam omnes superficiem coirent. maximo eorum, & reliquorum receptaculo, sub-erat meridianus, cum polis, ad cuiuslibet loci situm mobili-bus, in gradus sectus, tertius circulum latitudinis, quartus & quintus Zodiacum, signis suis distinctum, sextus tertii si-milis indicem, septimus dioptram uolubilem gestabat. (\*\*\*)

In-

(\*) conf. ci. hypotheses astronomicae cap. 2, 3, 5, 6, 7, 9, 16, 23.

(\*\*) magn. compof. lib. V. c. 1.

(\*\*\*) Figuram eius descripserunt IO. REGIOMONTANVS, in enarratione de ufo ac conſtructione astrolabii armillaris. extat inter scripta eius a Schonero edita fol. 21. &amp; SCHREKENFUCHSIVS sub finem annotatio-

Inventionem eius sibi tribuit Ptolemaeus, idemque ad longitudes & latitudines planetarum metiendas in primis accommodatum esse affirmat. Interim tantum partium 360 meminit, &, de quo PAPPVS (\*) non immerito queritur, magnitudines circulorum haud definit; illud est in promtu, quod, nisi permagnum & subtiliori partitione praeditum fuit, nequaquam usibus, quibus dicatum erat, sufficere potuerit. Sed quemadmodum sequioris aeui astronomi astrolabia adornauerint, hoc loco in primis commemorandum est. Quoniam nempe sphaera armillaris, organon quippe uetusissimum, & ab Archimedea singulari diligentia excultum, laboriosam constructionem requirebat, & plurium circulorum lignorum uel aeneorum conformatio haud absque errore fiebat, nec commode ex uno loco in alium transferri poterat, consultius duxerunt nonnulli, ut in illius locum pictura circulorum astronomicae, projectionem uocant, quae circulos sphaerae in plano ob oculos ponebat, succederet, qualis tabula astrolabium uel planisphaerium dicebatur. et cum haec pictura multis absolui posset modis, assumto nimirum, plani aut tabulae loco, aequatore, uel meridiano, aut coluro solstitiorum, item alterutro tropico, inde plures astrolabii species originem traxerunt. Quis eiusmodi delineationem primus inuenierit, incompertum est. Viam ad eam monstrasse uidetur Ptolemaeus, qui hemisphaerium terrae in plano dupli modo depinxit. (\*\*) Posteri, hanc artem imitati, de praecipuis sphaerae orbibus in plano signandis consilia inie-

A 3 runt.

num ad Almagestum f. 26. add. GIO. PAOLO GALLVCCI Tr. della fabrica & uso di diversi strumenti di astronomia & cosmografia. Venet. 1597. 4. fol. 215.

(\*) Nemo de hoc organo copiosius inter ueteres differuit *Pappo*, cuius extat *τριπλημα εις τας συνταξεις*, in tertium commentario Theonis graeco in Ptolemaeum p. 231. GALLVCCIVS l. c. idem ab Albategnio tractatum fuisse censet, de quo ex iis, quae infra dicturus sum, luctulentius constabit.

(\*\*) Sub finem lib. I. geographiae. add. IAC. ZIEGLERI Commentarius in librum II. Plinii p. 361.

runt. Composita nempe sunt astrolabia, tam uniuersalia, toto terrarum orbe utilia, quam particularia, alicui latitudini uel poli elevationi adstricta. Aliqui super aequatore oculum in polo mundi locarunt, ut circuli ascensionum rectarum & horarii rectis, declinationum, curuis sisterentur, cui uniuersali proiectioni particularis pro horizonte obliquo inscribebatur, tabula pertusa & mobili, rete dicunt, addita, quae, praeter gradus eclipticae, stellas aliquot fixas gerebat. Aliis pro tabula meridianus, uel colurus solstitiorum, oculus in puncto ueri ortus aut occasus est, spectans aduersum hemisphaerium, ut communis sectio radiorum, qui ab oculo ad peripheriam circulorum ducuntur, cum plano meridiani, eorum apparentiam prodat. Heic circuli sphaerae rectae bases conorum sunt, quorum oculus sit uertex. Solebant & regulam ac dioptras affigere, per quas siderum altitudines notarent, atque his factis, locum & declinationem solis, & ex eius meridiana altitudine latitudinem locorum, tum ipsas siderum ascensiones, nec non longitudines & latitudines quaerere, multaque alia sphaericae astronomiae problemata soluere nitebantur. Astrologis uero organon tam opportunum, quod domicilia, orbes positionum, directionesque statim ostenderet, & ubiuis absque molestia circumferri posset, prae ceteris perplacuit. Sed de uaria astrolabii structura atque usu permulti, in primis ORONTIUS FINEVS, IOANNES STOEFLERVS, GEMMA FRISIVS, eiusdemque discipulus, IOANNES DE ROIAS, CHRISTOPHORVS CLAVIVS, ANDREAS TACQVETVS, CLAVDIVS MILLIET DECHALES, separatos tractatus vulgarunt; ut plura de eodem uerba facere opus non sit. Itaque nunc faltem de pretio eius & defectibus aliqua addere libet. Ut taceam, delineationem illam esse eius generis, ut rationum opticarum demonstratio uel peritoribus negotium facescuerit, & a tironibus raro intellecta fuerit, nisi animum opticae doctrinae ueritatibus, & sphaerae mate-

materialis contemplatione ac tractatione probe praeparatum attulerint: solebat praeterea figura tam exigua depingi, ut uix integrorum graduum sectio locum inueniret, obseruatio uero accuratior, & ad astronomiam augendam utilis, eodem per-  
peram irritoque conatu susciperetur. quare nemo dubitat, sphaeram, iusta forma & magnitudine, soluendis iisdem problematibus multo esse aptiorem. Ni fallor, astrolabium solis propemodum genethiacis compendium atque utilitatem attulit, & propterea pridem in Europa neglectum, hodienum in Turcia & Persia duntaxat, ubi astronomia solidior ignoratur, uaticinantium manibus teritur. De Saphaea IOANNIS REGIOMONTANI (\*) nihil dicam, quia similem cum astrolabio fabricam & usum habet: atque adeo illa melior uel utilior haberri non potest.

Nono seculo ALBATEGNIUS quadratum astronomi-  
cum inuenit; (\*\*) sed obscuram eius descriptionem reliquit. PLATO TIBURTINVS, Albategnius interpres, figuram qui-  
dem quadrati profert, sed talem, quae auctoris uerbis minime respondeat. Quantum ex his intelligere mihi licuit, Arabs quadratum cupit fieri aeneum, uel ligneum, cuius latus sit duorum cubitorum, uel maius etiam, si ita uisum fuerit, id-  
que minori praefert: in eo quartam circuli partem, cum no-  
naginta (\*\*\*) partibus, delineari, singulas in minores diuidi,  
e medio sciathe ram erigi, eiusdemque umbram ad solem in  
meridie notari iubet. Deinceps differit de compositione  
albidadae, per quam obseruationes fiunt, cui quinque ulna-  
rum (\*\*\*\*) longitudinem assignat. Super regula statuit du-

as

(\*) Ibi sphaera plana exhibetur, oculo in aequinoctiali puncto posito. De qua breuem REGIOMONTANVS tr. scripsit, & XXIV problematum sphaericorum sphaeae adminiculo solutionem docuit. ZIEGLERVS l. c. p. 366. & organon & nomen eius ante Regiomontanum, Arzachelis Ara-  
bis aetate, iam notum fuisse tradit.

(\*\*) Vid. eiusdem scientia stellarum cap. 57.

(\*\*\*) In Tiburtini interpretatione Norimb. 1537. 4. f. perperam legitur numerus 60 partium, quas postea radio Alhidadae Albategnius ad-  
scripsit.

(\*\*\*\*) Ita in Tiburtini uestione lego. RYETIVS uero in Huetianis, ab

## VIII

as pinnas aeneas, simili cum dioptris astrolabii magnitudine, in quarum medio duo foramina sibimet opposita sunt; ipsam uero alhidadam cum duabus regulis aliis copulat, unde, quod de triquetro, uel regulis Ptolemaei parallacticis, ei sermo sit, elucet. Prius quadratum, si forte tantum gnomonem sustinuit, nec quadrans uerticali situ moueri potuit, ad obseruationes solares non fuit satis idoneum. Parallacticae regulae, utpote longiores, pro metienda solis distantia a uertice utiles quidem fuerunt, adeoque labor, in illarum subtili divisione adhibitus, laudem promeretur, interim, Tycho ne iudice, (\*) quadrans rite elaboratus regulis semper praefstat. Qua occasione Tycho etiam uitia dioptrarum, quae olim Arabibus & Europaeis in usu erant, reprehendit. Cum enim per duo angusta foramina aequalia stellae minores noctu minime conspicerentur, oportuit ueteres anterius foramen, in stellas uersum, plus aperire posteriore, cui occlus admouebatur, quo facto, notabilis gradus parte aberrari potuit. Quapropter Braheus anteriori dioptrae rimas, remotori & quadratae accurate consentaneas uel parallelas, oposuit, ut, dum radii quadratum dioptriae dextro & sinistro latere stringunt, linea, quae fiduciae dicitur, in stellam certius dirigeretur: quin etiam cylindrum loco remotoris dioptrae in centro quadrantis uel sextantis firmare satius & consultius esse reperit.

*Quadratum uero astronomicum posterioris aei astronomi multo praxibus astronomicis conuenientius reddiderunt. Descripto nempe quadrante, eoque in gradus, & minutis quas-*

Abbate Oliueto in lucem datis Amstel. 1723. 12. p. 388. scribit: *Ces observations de Tycho, & ces merveilleux instrumens, dont il se servoit pour les faire, avoient, pour ainsi dire, renouvelé l'astronomie. Non pas que les Arabes epargnaissent les soins & la depense pour connuire les mouemens du ciel. On en peut juger, par cet instrumen, dont je seruoit Albategnius, qui vivoit il y a 800 ans, du quel instrumen l'albidege estoit longue de dix annes.*

(\*) Mechan. astron. fol. 10. add. f. 38.

quasdam eorum partes secuto, latus quoque rectum & ver-  
sum in 1200 particulas diuiserunt, applicataque regula cum  
dioptris & perpendiculo, ope partium, quas regula signa-  
bat, in recto quidem latere, distantiam astri a vertice, in ver-  
so autem, altitudinem supra horizontem quaeſiuerunt, ad-  
hibita hunc in finem tabula, ut graduum ac minutorum  
comparatio, cum partibus aequalibus alterutrius lateris, com-  
modius fieret, quemadmodum GEORGIVS PVRBACHIVS  
(\*) peculiari libro uberior tradidit.

Maioris momenti opus seculo XV aggressus est & ab-  
soluit, VLGBEIGH, princeps Tatarus, Tamerlanis nepos.  
Dicitur enim quadrantem uel gnomonem erexisse, cuius  
perpendiculum centum & octoginta pedes Romanos conti-  
nebat: quale quidem organon, ad obſeruationes inprimis  
solares, longe erat utilissimum. Dolendumque est, quod  
post obitum tam munifici fundatoris plures eximio illo gno-  
mone dimensiones in coelo peractae non fuerint. (\*\*) Cete-  
rum a nemine in dubium uocari posse existimo, quod toto,  
de quo nunc ago, temporis interuallo, nihil ad praxin  
astronomicam promouendam accommodatius & illustrius,  
gnomone Vlugbeighiano institutum inuentumque fuerit.  
Quamuis enim aevo medio gnomonum usus minime ignotus  
fuerit, & de Sinis constet, quod simili instrumento umbras me-  
ridianas, & alia, quae inde consequuntur, phænomena, anno-  
tauerint, (\*\*\*) brevia tamen tantum perpendicula habuerunt,

## B

qui-

(\*) Canones pro compositione & usu gnomonis siue quadrati geometrici  
pro Ioanne archiepiscopo Strigoniensi a Purbachio digesti, extant inter  
scripta Io. Regiomontani a Io. Schonero edita, fol. 61. add. GALLVCEII  
lib. IV. f. 56.

(\*\*) Conf. IO. GRAVII praef. tabulis geographicis Vlugbeighii praemissa  
& Historia astronomiae cap. IX. §. 9. In Persia inter instrumenta  
astronomica antiquæ quadrantes magnos uidit IO. CHARDINVS: sed spre-  
ti hodie & abiecti iacent, quia astrologi solidior astronomia curae non  
est. uid. ci. Voyages en Perse & autres lieux de l' Orient. Tom. III.  
cap. 9.

(\*\*\*) u. GAVBILII historia astron. Sinenfium add. Hist. astron. p. 248. 249.

quibus tam exquisitae, ac longioribus, obseruationes minime capiuntur.

Quod uero ad quadrantes, prisco tempore usitatos, attiner, illorum quidem fabricam posteri variis modis opportuniorem perfectioremque reddere studuerunt: uerum nec diuisionis subtilitatem, nec dioptrarum compendia, nec motus rectionisque facilitatem ex uoto assecuti sunt. Deletabantur multi quadrantibus borariis, (\*) qui propter exiguitatem, ad usus astronomorum inutiles sunt. Alii ligneo quadrante, in gradus singulos secto, (\*\*) astrorum contemplationi rite se uacatuos sperabant. Tycho (\*\*\*) manibus suis tractauit quadrantem ERASMI REINHOLDI, astronomi olim primi ordinis, & deprehendit, eum tam uitiose factum, ut sexta circiter gradus parte in altitudine poli Vitebergenfis capienda, illo aberratum fuerit; similiter CASPAR PEVCERVVS, Reinholdi discipulus & successor, qui eodem arcu locum stellae Cassiopeae dimensus est, haud parum a ueritate deflexit: miraturque Braheus, tantum astronomiae cultorem non melioribus organis fuisse instructum.

Enim uero de tollenda quadrantium portatilium imperfectione, PETRVS APIANVS, DANIEL SANTBECH, & PETRVS NONIVS, confilia agitarunt, & eruditio orbi exposuerunt. APIANVS (\*\*\*\*) alterutri quadrantis radio applicat sinus rectos, & gradus respondentes adscribit. Filo autem perpendiculari globulus uel unio adhaeret, quo minuta graduum distinguuntur.

Sed

(\*) Vid. ORONTII FINEI tr. de compositione instrumentorum astronomicalium: in margarita philosophica. p. 1338. & STOEFLERI tr. de quadrante. add. GALLVCCIVS f. 154.

(\*\*) Talem commandant & describunt IAC. ZIEGLERVVS in append. ad Commentar. Plinian. in deductione sphaerae ad obseruatoria organa. p. 342. & VALENTINVS ENGELHARTVS libro pecul. de eodem instrumento.

(\*\*\*) Progymnasium astronomiae Parte I. p. 609. 632.

(\*\*\*\*) Vid. pars secunda astronomici Caesarei, fol. M. 4 seq. & GALLVCCIVS f. 160. Apianus quadrantem suum *meteoriſcopum* nuncupat, quo ea, quae in sublimi sunt, considerantur. Praeter sinus autem & quadrantem, alios arcus ex extremo radii puncto ad sinus ducit, hosque arcubus, qui sinus & gradus quadrantis iungunt, fecat. Hoc instrumento trigonometriae sphaericae problema soluere docet, eiusque usum obseruationibus quinque cometarum illustrat.

Sed cum experientia confirmaret, hac methodo scrupula non  
accurate satis inuestigari, SANTBECH (\*) radio quadrantis par-  
tes 60000, & centenis singulis perpendiculara super radio uel  
sinus rectos imponit, minutiasque per regulam, quae dioptras  
gerit, & transuerso sinus intersecat, indagari posse arbitratur:  
qua ratione Apiani inuentum nonnihil auxit & emendauit.  
Denique NONIVS (\*\*) quadrantem sic adornare ausus est, ut  
non prima solum, sed etiam secunda quaedam minuta mon-  
strareret. Nimirum tabulae solidae inscribit quartam circuli par-  
tem, & post huius partitionem in gradus singulos, & aliquot  
eorum partes, ducit quadrantes alios minores 44 concentricos,  
aequo ubique intervallo diffisitos, quorum numerus partium  
aequalium, semper unitate a 90 decrescit. primus ergo ab extre-  
mo 89, sequens 88, tertius 87, quartus 85 &c. ultimus 46 par-  
tes habet, e centro uero regula dioptrarum mobilis ad marginis  
extremum producitur. Potquam huius quadrantis planum ope  
perpendiculi ita dispositum est, ut circulo alicui verticali con-  
gruat, & linea foraminibus dioptrarum in solem stellamue di-  
rectarum subiecta, punctum aliquod divisionis quadrantum mi-  
norum designet, talis est ratio partium huius quadrantis ad gra-  
dus nonagesima, qualis partium resectarum ad portionem qua-  
drantis, gradibus & scrupulis circumscriptam, quae uel regulae  
proportionum directae, uel tabulae alicuius beneficio reperi-  
tur. Theoria huius instrumenti uel fundamentum recte sece  
habet, sed in partitione quadrantum minorum multiplex diffi-  
cultas obicitur: quod ipfem Nonius inuentor expertus fuisse  
uidetur; siquidem palam profiteri non dubitat, (\*\*\*) se assidue  
quidem obseruationes astrorum facere, sed organis, quibus  
confidenter uti possit, carere. Tycho cubitalem quadrantem  
aeneum, divisione Noniana praeditum, fieri curauit, praecisionem  
vero absolutam experimentis factis frustra eodem quaesivit. (\*\*\*\*)

B 2

Quo-

(\*) Extat eius tractatus de usu quadrantis: unde huius descriptionem  
defunxit GALLVCCIVS f. 161.

(\*\*) In tr. de crepusculis propos. III.

(\*\*\*) Vid. opera eius p. 49 hunc quadrantem GALLVCCIVS omisit, cum  
tamen inter omnes, qui mediocri magnitudine ante Tychonem reperti  
sunt, praestantior esse uideatur.

(\*\*\*\*) Mechan. astron. instaurat. fol. 2.

Quoniam quadrantum maiorum fabrica medio aeuo optatum successum non habuit, peritissimi astronomi regulis Hipparchicis & Ptolemaicis, utpote constructionis facilioris, contenti esse maluerunt. Inter alios hoc instrumentum continuo manibus uersarunt IO. REGIOMONTANVS & BERNARDVS WALTHERVS, (\*) quo plerasque obseruationes suas de coelo incredibili solertia deduxerunt. Interim Tycho, regulas imitatus, et si eas firmius, quam olim factum erat, coniungeret, usum tamen earum nequaquam tutum esse comperit. (\*\*) IACOBVS ZIEGLERVS (\*\*\*) regulas Hipparchi simpliciore forma composituit. Adhibet enim tantum regulas duas in altera situ horizontali ad libellam collocata sexaginta pluresque partes aequales assumit, altera circa clavum mobilis diropras sustinet, & ex eius extremo filum cum pondere demittitur: hoc ex radio sinum resecat anguli ad hypotenusam oppositi, qui distantiam fideris a vertice prodit, unde quod restat ad angulum rectum, pro angulo altitudinis, notescit.

IOANNI SCHONERO (\*\*\*\*) & PETRO APIANO (\*\*\*\*\*) in eosdem usus baculus vel radius astronomicus placuit. Scilicet baculo, vel longo prismatici, ferreo aut aeneo, transversarius cursor applicabatur, angulorum uero acutorum in triangulo orthogonio magnitudinem lineae tangentes in prisnate definitae menabantur, vel eundem in finem tabulae peculiares ad manus erant. Posteri alterum insuper cursorum addiderunt, remque sic melius succedere experti sunt. (\*\*\*\*\*\*) Enim uero transversarii cursores minime sic firmari & promoueri poterant, ut non uacillarent: & breuitas baculi, quae, ut esset tractabilior, requirebatur, accuratam, tum partitionem, tum obseruationem impediabat.

(\*) Vid. SCHONERI annotationes in fabricam & usum magnae regulae Ptolemaei, post scripta Regiomontani f. 23. add. SNELLII appendix ad obseruationes Hassiacas fol. 1. 23. 46.

(\*\*) Mechan. astr. inst. fol. 10.

(\*\*\*) In comment. ad lib. II. Plinii p. 240. in appendice p. 345.

(\*\*\*\*) Vid. eius annotationes in constructionem & usum rectanguli, sive radii astronomici, post scripta Regiomontani f. 34. add. SNELLII appendix obs. Hass f. 10. & de lapſu Schoneri in usu radii fol. 67.

(\*\*\*\*\*\*) Vid. eius cosmographia p. 29. & GEMMAE FRISI tr. de structura radii astronomici & geometrici. additus cosmographiae Apiani p. 286. sq.

(\*\*\*\*\*\*) Vid. ADRIANI METII opera astronomica. doctrinae astronom. lib. V. p. 178.

bat. THOMAS DIGGESIVS, Anglus, auctor libri, cui titulum: *alae mathematicae*, fecit, in quo loca stellae Cassiopeae radii ad miniculo inuenta uulgauit, quaedam pro emendatione huius instrumenti, in primis quod ad eccentricitatem oculi, & divisionem partium per lineas transuersales attinet, supplementa, quae Tycho (\*) tanquam utilia & necessaria laudat, cum astronomis communicauit, quin radium suum omnibus antiquorum & recentiorum organis astronomicis praeferre non est veritus: ast TYCHO, artifex exercitatis simus, usu multiplici edocetus, deprehendit, quod radius quomodo cunque tandem paretur, & quantumcunque fuerit longitudinis, quamque subtiliter diuidatur, et si oculi eccentricitas satis caueatur, & rimula dioptrica principio eius adibibeatur, arque e solidi metallo, sive quadrilatero, sive trilatero, paretur, & fulcro imponatur, babeatque, si liber, plura uitandi erroris subsidia, rata tamen in minuto exactas stellarum intercapdines, praeferunt maiusculas, non ubique constanter & indubia ratione suppeditet. quae quidem omnia pluribus tum rationibus, tum propositis a Diggesio exemplis, latius demonstrat.

Sed quoniam, uti accepimus, Diggesius, utilissimam minutorum intervallorum in instrumentis astronomicis sectionem per rectas transuersas, perspectam habuit, facere non possum, quin ea hic superaddam, quae de eius inuentione Tycho ipse (\*\*) nos edocuit. Diggesius fatetur, hoc artificium iamdiu ante in Anglia notum fuisse, a peritissimo mathematico RICHARDO CANTZLERO per manus traditum. Sed Tycho reperit idem eo iam tempore, quo Lipsiae studiorum caussa a. 1562 commorabatur, in officina mathematica IO. HOMELII pro radio partiendo receptum, atque a BARTHOLOMAEO SCVLTE TO secum communicatum: unde deinceps Tychoni ansa fuit data, ut similem sectionem in arcibus quadrantum, sextantum & armilarum imitaretur.

## B 3

## Quod

(\*) Progymn. astron. P. I. p. 671. add. astron. instaur. mechan. fol. 16. ibi promittit, se aliquando de radii emendatione sufficienter acturum. idem arcum bipartitum, qui minoribus siderum distantiis inuenientis inferuiret, a se inuentum, & in baculi astronomici locum suffectum, describit & commendat.

(\*\*) Progymn. I. c.

Quod Schonerus & Apianus radio, id **GEMMA FRISIUS**  
 (\*) annulo astronomico praestare conatur. Dum enim in perficiendo annulo horario operam nauat, uenit ei in mentem, quomodo orbis ille modicus pluribus problematis sphaericis accommodari possit. Itaque annulo singulari duos alios addidit, atque ita meridianum, aequatorem & Zodiacum exhibere, & eorum beneficio solis & stellarum altitudinem, sirumque poli & locum solis inuestigare docuit. Sed cum exiguae essent hae armillae, quae singulos uix gradus capiebant, utilitas inde in praxi astronomica frustra sperabatur.

Hucusque, praeter astrolabium, simpliciores quasdam astronomorum medii aeui machinas commemorauit, supereft, ut ex pluribus compositas, quae ante Tychonem in pretio erant, subiungam. **GEBERVS**, ex Mauris medicus & astronomus Hispalensis, Seculo XI clarus, *machina collectitia* industrie admodum contexta, omnia Ptolemaei instrumenta iucundo compendio, mirifice, uti iudicat **REGIOMONTANVS**, (\*\*) complexus fertur. Inde colligamus licet, quod & quadrantis, & astrolebii, & armilarum, ac regularum munia unicum hoc instrumentum, ex Geberi mente, obire debuerit. Tametsi autem pleniorem eius descriptionem nullibi legerim, siquidem in commentario Geberi in Ptolemaeum, quem euolui, organi compositi mentio non occurrit, res ipsa tamen loquitur, habuisse illam machinam cognitionem cum *Torqueto*, quod iridem aliquot orbibus constat, & ex pluribus instrumentis coaluit. Horizonti enim immobili, imminebat aequator fixus, supra loci dati horizontem debito angulo inclinatus, eius circulus in gradus & horas diuisus, & linea horae XII in meridiem directa erat. Ad aequatorem super peculiaribus tabulis eclipticae circulus, in signa & gradus, nec non in menses & dies singulos distributus, regulam latitudinis gestans, denique supra hunc circulus latitudinis, & semicirculus penfisilis, cum dioptris, altitudinibus metiendis dicatus, ponebantur. **REGIOMONTANVS**, qui de torqueto copiose commentatus est, (\*\*\*) annumerat

(\*) Vid. eius tr. de usu anniuli astronomici in append. ad Apiani Cosmographiam p. 210.

(\*\*) In praef ad canones Torqueti f. 1.

(\*\*\*) Est ille Tr. super torqueto primus inter eos, quos Schonerus edidit.

rat idem instrumentis statariis, quibus sedes & locus firmus debetur, idque, pro locis & altitudinibus solis, lunae & reliquarum stellarum, pro ascensionibus, horis ac domibus coelestibus reperiundis commendat. Ex structura eius ingenium quidem inuentoris & peritia in rebus astronomicis eluet, & TYCHONIUS (\*) iudice, Arabes eodem, quippe paratu faciliori minusque sumtuoso, loco armillarum usi uidentur, sed propter easdem caussas, quae astronomos, ut armillas missas facerent, permouerunt, etiam torquetum postea in desuetudinem abiit.

ORONTIVS FINEVS, (\*\*) perpensis, quae torqueti fabricam & usum comitantur, difficultatibus, in eius locum *Organon Visorium*, multo simplicius & tractabilius, sufficiendum duxit. Huius inferior tabula circulum horizontis, cum regula circa axem mobili, refert, axi uero affigitur semicirculus uerticalis, cum dioptris & perpendiculari: atque ita semicirculo, quaevis siderum altitudines, & per regulam in horizonte mobilem azimurtha haud incommode mensurantur.

Machinis compositis accensenda quoque sunt *Aequatoria* & *planerolabia* uarii generis, quae haud diu ante Tychonem magno astronomis in pretio erant. In illis enim describendis conformandisque IOANNES SCHONERVS, FRANCISCVS SARZOSVS, IOANNES FERNELIVS, FRANCISCVS & ORONTIVS FINEVS, SEBASTIANVS MUNSTERVS, &c, qui antecepsorum soleritiam longissime uicit, PETRVS APIANVS, multum operae posuerunt. (\*\*\*) Ne quid de aliis, qui intricatas mirabilis molitione theorias in compendium redigere annisi sunt, commemorem. Sed nihil profuisse astronomiae hoc inuentum, quantumuis peringeniosum, erroneis quippe hypothesibus innoxium,

SCHONERVS addidit alium de constructione torqueti f. 14. de eodem agnunt pluribus ORONTIVS FINEVS de compositione instrum. astron. p. 1425. margar. philos. ZIEGLERVS in append. ad comment. Plin. p. 349. & omnium maxime perspicue PETRVS APIANVS, sub finem astronomici Caesarei, fol. O 3. ubi partes singulas totumque torquetum elegans tissima figura expressit, & eius quoque usum separatis propositionibus et narravit.

(\*) Progymn. astron. instaur. P. I. p. 142.

(\*\*) Vid. eiusd. margarita philos. f. 1430.

(\*\*\*) Vid. Historia astronomiae p. 337-340. 341-347-349.

XVI

nixum, motuumque vicissitudinibus monstrandis minime idoneum, lūculenta posteros experientia docuit. (\*)

Idem de *machinis planetariis*, seculo potissimum decimo sexto excogitatis, & multipli artificio constructis, quarum recentissum alio loco institui, (\*\*) iudicium esto.


*Horologia* denique *automata*, quibus hodie praxis astronomica mirifice iuuatur & facilitatur, quaeque propterea nunc in speculis astronomicis praecipuum quendam locum tenent, non solum usque ad Tychonem, sed etiam, elapsa superioris seculi medio, quo CHRISTIANVS HUGENIUS pondera pendula illis regendis corrigendisque felici sidere applicuit, tot tantisque erroribus obnoxia fuerunt, ut olim astronomis parum utilia, & hi temporis momenta aliis laboriosisque observationibus & calculis, haud absque magna temporis iactura, inuestigare coacti fuerint.

Sed forsitan satis de obsoletis astronomorum machinis, non tam curiositatis studio, quam ut, facta veterum cum nouis, quarum fabricam & usum TYCHO, HEVELIUS, HIRE, BION, DOPPELMAIERVS, aliquie passim, uberioris descripsérunt, comparatione, harum praestantia clarius elucescat, praefatus sum. Quare finem huic commentationi impono, & ad propositum, cuius causa haec scriptio exarata fuit, conuertor. Scilicet, ex Ordinis Philosophorum in hac Academia Decreto, Philosophiae Artisque Poeticae Candidatis significandus est dies XXX Aprilis, quo anniversaria solennia, honorum Laureae Philosophicae & Poericae, festo ritu distribuendorum, celebabantur. Rogo igitur perhumaniter omnes, quotquot, me Brabeuta, ornamentis ipsis condecorari cupiunt, ut nomina sua maturo apud me profiteri, editisque eruditissimae speciminibus, praemia collocatae in bonis artibus industriae a me exspectare uelint. Deus Immortalis hoc institutum Gratia sua Optima Maxima fortunet, idemque in literati orbis emolumentum auspicato euenire, utriusque uero laureae Candidatis omni ex parte salutare esse iubeat. P. P. Vitembergæ. Domin. I. post Epiphan. A. G. R. clo Iccc XLII.

(\*) Iudicium KEPLERI de aequatoriis Apiani attuli in Historia astron.

p. 349.

(\*\*) Histor. astron. p. 565.






BRUNNEN

**ULB Halle**  
006 539 734

3



v3 18





D. IO. FRIDERICI WEIDLERI  
MATHEMATVM SVPERIORVM PROFESSORIS  
ORDINARII REGIIS SCIENTIARVM SOCIETATIBVS  
BRITANNICAE ET PRVSSICAE ADSCRIPTI  
H. T. ORDINIS PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA VITEM-  
BERGENSI DECANI ET COMITIS PALATINI  
CAESAREI

1742

COMMENTATIO  
DE  
MECHANICA  
ASTRONOMIAE  
MEDII AEVI  
AD  
PHILOSOPHIAE ARTISQVE POETICAE  
CANDIDATOS

## VITEMBERGAE

# PRELO EICHSFELDIANO

A. R. G. C I C I C C X L I T X